





~~11-17~~  
EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

11-17  
SIGNAT. ciioCCCCXIII.

einzelne verzeichnet 17. III. 1915.

ex Gelehrten III. 1-7.  
ex W. X. 18. 6.  
+ ex Sp. XXXIII. 25. 26

7. F. M. Seben kirchm. d. de Flammante curia Elis  
ex 2. Reg. II. Witib. 1687.  
+ Stadl. car Jo Christoph. Wickmannshausen.  
F. 2. Egidien de ebn. Wit. III.  
+ Präside Andrea Sennerio. Vrb. 1680.  
\* Reg. 85. Christoph's Sülle Hung.  
Jo. Georgii.



Index Dissertationum hoc volumine contentarum.

1. Joh. Conrad. Boeckmanni de Salamone a Scepticismo vindic. Viteb. 1710.
2. Joh. Maji de iis, quae fuerunt in arca foederis.
3. Mart. Zipenij de Navigio Salomondo. Viteb. 1654.
4. Joh. Christoph. Wichmann Hausenij de Navigione Opdrithica. Viteb. 1709.
5. Joh. Helvic. Willemexi de Pallio Chia. Viteb. 1679.
6. Joh. Hageni de abominando Atoabi Sacrificio. Viteb. 1716.
7. Joh. Christoph. Wichmann Hausenij Regal. Cuthaeorum. ex 2 Reg. XVII. 20. Viteb. 1707.
8. Dav. Theodas. Sehmanni de Horologio Aegypt. Viteb. 1710.
9. Christoph. Braunbaddt de Hieropiantis Judaeorum. ex 2 Reg. XXIII. 5. Viteb. 1680.
10. Joh. Christoph. Wichmann Hausenij de Regim. deo. ministris. Viteb. 1713.
11. Joh. Adolph. Mülleri de Hae Regis pompa ferali. Viteb. 1710.
12. Joh. Helvic. Willemexi de Chia ΘΑΥΜΑΤΟΥΡΓΙΑ. Viteb. 1679.
13. Crdm. Pothofr. Camentij, Aqueductus Aethiopiae. Viteb. 1714.
14. Joh. Frid. Wichmann Hausenij de Maledictionibus Dei. Viteb. 1712.
15. Ejusdem itidem de Maledict. Dei posterior. (1712)
16. Andrea Semerti de Voco Jobi cap. XIX. 25. Sqq. Viteb. 1679.
17. Joh. Guil. Dajeri Dehemoth et Sepiatdan e Jobi 40. Al. Abas. Viteb. 1708.
18. Theod. Oberth Animadversiones Baltic. Cent. 1. Decima I. 5.
19. Ejusdem Decima 2 et 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Praenotanda ad Altera 1618.
20. Jacob. Welleri Psalmi primi expositio. Viteb. 1659.
21. Joh. Helvic. Willemexi de Sculo filij ex P. 2. Viteb. 1676.
22. Ejusdem altera de Sculo filij. Viteb. 1678.
23. Mich. Doccij Jussum non derelictus, ex P. 37. 25. Viteb. 1674.
24. Joh. Helvic. Willemexi: Deus optima Portio fidelium. Viteb. 1679.
25. And. Semerti DE אֵלֶּיךָ לֵךְ דִּיקָה, Obreorum. Viteb. 1680.
26. Mich. Doccij: Ornamentum festi ex Ps. CXVIII. 27. Viteb. 1677.
27. David. Wendessen quatuor abscondita ex Proved. 30. 18. 19. Viteb. 1670.
28. Anton. Junkeni aigmatica Senectutis & mortis Descriptio.
29. M. Jacob. De Pence observ. Philologia ad Cap. III. et IV. Cantic. Viteb. 1670.
30. Augusti Pfeiffen Dubiorum Select. ex Esara Trias. Viteb. 1670.



32. Jos. Christoph. Fischeri De Ornatu mulierum prior. ad Jesaj. <sup>cap. III. 16. V. 1709.</sup>
33. Eiusdem De Orn. Mulier. posterior. Ibidem eodem.
34. Jos. Christoph. Wichmannhausen De rida et tremoris calice. <sup>Vit. 1714</sup>
35. And. Hennerti Bases aliquot ad Sai: cap. LIII. <sup>Vit. 1679.</sup>
37. + Abrab. Henrici Deutschmanni Meschia vulneratus. <sup>Vit. 1694.</sup>
38. \* Abrab. Calovij De Selenolatia. <sup>ad Jer. VII. 18. XCV. 17. 1709.</sup>
39. + Israel. August. Jarmanni De solo consolatione ex Jer. XVI. 7. <sup>Vit. 1709.</sup>
40. And. Löfflerius Siqui in Altum. ex Jer. XVIII. 1-6. <sup>Vit. 1695.</sup>
41. Theod. Dabovij De Rabbismis Philologia ancillans <sup>Vit. 1674</sup>
42. Henric. Wilhelm. Matthaei De WU prior et posterior.
43. + Sclan. Deyling de fletu super Hammur. <sup>Ezech. VIII. 14. Vit. 1704.</sup>
44. Jos. Cady Magia Sagittar Habucodonos. <sup>Vit. 1675. ex Ezech. XXI. 26.</sup>
45. + Theod. Camentij de nari Syria. ex Ezech. XXVII. 11. 5. 6. <sup>26.</sup>
46. + Georg. Albert. Antingij de sublefa uol. 77. 3. <sup>Interp. per</sup>
47. + Pigmios prior et posterior. ex Ezech. XXVII. 11. <sup>Vit. 1710.</sup>
48. Jos. Georg. Dittelmajen de Vita Daniels. <sup>Vit. 1675.</sup>
49. + Sebaf. Seixenmajen de metamorphosi Habucodonos.
50. + Christiani Hentzel de Metamorph. Nebucadnezaris.
51. + Mich. Liebentantz de prodigijs manus scriptura in aula Babil.
52. + Jacob. de Cence Opula de Scharfatahis Script. illustre. <sup>Vit. 1662.</sup>
53. Jos. Wilbelij. Hilijer Crypto Graebian. ex Dan. V. 25. 26. <sup>Vit. 1669.</sup>
54. Jos. Satringoff Exercitio Philolog. Super 2 et 3. cap. <sup>Hos. Vit. 1654.</sup>
55. + Theod. August. Jarmanni de Pane Eugentium. ex Hosea 13. 4. <sup>1654.</sup>
56. + Abrab. Calov. de Cudchis. destructione Arbela a Salmanasare facta.
57. + Pars prima, altera, & tertia. <sup>Vit. 1682.</sup>
58. Jos. Hehici, Hoseas <sup>ex cap. 1.</sup> **WENOHITOC** Wilhem en. <sup>Vit. 1680.</sup>
59. M. Mart. Zipfij. Iona Diaphus Babapius. <sup>Vit. 1659.</sup>
60. M. Jos. Frid. Herttenstein De magnâ pisce. +
61. M. Jos. Frid. Weidlen Habacuci Propetâ De Mecha testimon. <sup>Vit.</sup>
62. M. Jos. Frid. Rabbimis fictum templum tertium. <sup>Vit. 1677.</sup>
63. M. Mich. Doccij. Rabbimis fictum templum tertium. +
64. Jos. Christoph. Wichmannhausen de Planctu Hadadri in mon. +
65. And. Hennerti: Septenarius Thebium Philologiar. <sup>Vit. 1662.</sup>
66. Caspar. König Exercitatio Philologemata miscella comprehend. +
67. August. Pfeifferi Senarius Thebium Philologiar. <sup>Vit. 1658. +</sup>
68. Eiusdem Septenarius tres. Biblico Philolog. <sup>Vit. 1678.</sup>



IN LIBROS REGVM.

1677

- 69. And. Lemert. Theses Philolog. resp. M. Georg. Schwartz. Viteb.
- 70. Joh. Christoph. Wichmann Hansen Propositiones Philologicae. Viteb. 1709.
- 71. Eiusdem Propositiones Philolog. resp. M. Daniel. Boetio. Viteb. 1713.
- 72. Eiusdem Philologemata octo Selectiora. resp. M. Georgio Carolo Perri. Viteb. 1715.

F 36. M. Jos. Andr. Danz de Judaeo proprio iugulato gladio ad Ier. Cap. XIII. Viteb. 1679.

ad num. 37. + ex Ier. XIII. 4. 5. Responsum erat Georg. Franckfurtensis Censurario Hungaricus.

38. \* Praef. erat M. Georg. Frid. Meinhardt Viteb. 1680.

42 + ex Ierem. XXV. 26 et XI. 41. Viteb. 1703.

43. Eiusdem de eodem argto Viteb. 1704.

46 + Praef. erat Joh. Christoph. Wichmann Hansen. Viteb. 1714.

F 50. M. Sebat. Kirchmayer de Metamorphosi Nabucodonosoris ex Danieli V. Viteb. 1654.

51. + Praef. M. Jos. Wilhelmus Hilligerus Viteb. 1670.

52 + ex Danieli V. Viteb. 1661.

58 + Viteb. 1708. resp. Jam. Jacob. Loescherus.

61 + qui Ioram Vitem deglucio. resp. M. Jos. Wilhelm. Kirchmayer. Viteb. 1705.

62 + Cap. III. 13. Viteb. 1712.

64 + ex Zadar XII. 11. resp. M. Theophil. Grabnerus. Viteb. 1709.

66 + praef. M. Conrad. Sam. Schurtz fleischerus. Viteb. 1664.

+ resp. M. Henricus Pladecius



Handwritten signature or initials in cursive script, possibly reading "L. J." or similar, written in dark ink on aged, yellowed paper.



3

9

4

L. 2041.

2

I. N. J.

De

# NAVIGIO SALOMONÆO


CLARISSIMVS

M. MARTINUS LIPENIUS  
Gortzâ-Brandenburgensis Marchicus,  
PRÆSES

&  
JOH. CHRISTOPHORUS GALLI,  
Divo-Georgiensis Ungarus

RESPONDENS

*publicè disputabunt in Auditorio Minori  
die 16. Octobr.  
horis pomeridianis.*



WITTEBERGÆ,

Literis JOHANNIS HAKEN,  
ANNO M. DC. LIX.





16  
F. N. J.  
NAVIGIO  
SALOMONAE

CHARITATIS  
M. MARTINIUS LIPENIUS  
Gortz-Bundeburgensis Marchicus  
PRAES

JOH. CHRISTOPHORUS GALLI  
Dico-Georgius Heganus  
RESONDENS  
publici officii in horto hinc  
die 16. Octobr.  
hinc publice dicitur.

Licitis JOHANNIS HAKEN  
ANNO M. DCI. LXX.





I. N. J.

# DE NAVIGIO SALOMONÆO.

## Præloquium.



Nulla alia in re audacia hominum & intrepidus animus; certè in re Nautica fuit animadversa.

*Illi robur & as triplex  
Circapectus erat, qui fragilem truci  
Commisit Pelago ratem.*

*Primus — — —*

Non satis periculorum erat in terris positum, discrimina quoq; in Mari erant tentanda. Quando ventorum murmura, imbrium & tonitruum vim audimus, timemus etiam, cum domi latitamus, exhorrescimus cum in Camporum recessibus, Sylvis & solitudinibus commoratur: Quantum itaq; Periculum, in procellosis Marium æstantium fluctibus futurum erat! Attamen ea omnia supergressus est Homo, animum ferreo, & adamantino pectore firmans, Qui

*Siccis oculis Monstra natantia*

*Qui vidit mare turgidum, &*

*Infames scopulos Acroceraunia.*

Scilicet Hominis curiositas cum audacia conjuncta, semper ultra tendit, & nihil ferè relinquit inausum. Neque tantum ista animi obduratio fuit in Claudio Caudice Romano, aut in Themistocle Atheniensi, aut in Ferdinando Magellano Portugallo, in Americo Vesputio Hispano, in Columbo Ligure, qui in Maribus Mediterraneo, Siculo, Athlantico & Americano immensa æquoris spatia emensi sunt; sed etiam in Oriëte priores his in Mari Æthyopico & Indico, cū plures aliistetarūt; tū Celebratissim9 quoq; & Sapiëtissim9 Salomō, per suos Navarchos tentavit, cujus illustre & nobile Navigium

*ipse*





*ipse Spiritus Sanctus in Annalibus Judaicæ Gentis descripsit in*  
1. Reg. IX. vers. 26. 2. Paral. VIII. v. 18. cap. IX. vers. 10.

Super quo brevem hanc Commentatiunculam Geographicam conteximus, istud in antecessum præfati, quod ex Scriptura Sacra non nisi Veritatem & Fundamentum hujus Historiæ & Navigationis sumamus, seu rectius, præsupponamus; reliqua ex Autorum & Geographorum Prophanorum allegatis adducimus.

Quod nostrum institutum ut benè cedat, DEI Ter Opt. Max. Nomen invocamus, ut sua nobis Gratia adesse, & verà docere velit.

---

## CAPIT I: DE NAVIGIO IN GENERE.

¶. 1. Navigatio & Navigium differunt. 2. Conveniunt. 3. Utrumq; hoc loco. 4. Navigationum Antiquitas. Danaus, Senfleben, Simon Majolus. Noë Arca, Arca rudera, Mōtes Coridæi. Haitonius, Berofus, Josephus, Dresserus. 5. Auctores Navigationum, Phœnicēs, Tyrii, Danaus, Mysii & Trojani, Corinthii, Minos, Neptunus & Cretenses, Samothraces, Atlas, Minerva, Argus, Argonauticæ expeditionis fabula. Arriani Periplus, Argō, Promotheus, Muretus, Noah Janus, secundum Micrælum, Noë Arca exemplar navigiorum. 6. Difficultas navigationum. Novazembla. Gerh. de Vera. Biantis & Anacharsis judicium. 7. Utilitas. Transitio ad Salom. Navigiū. 8. Navigii genus, Ratum autor, navium biremium, triremium &c. Authores. longæ naves à Sefostri inventæ. Onerariarum Autor Hyppius. 9. Naviū Materia robora, Cedri. Portus Gazæorum & Jopes. 10. Navigia arundinea, vitrea, Scirpea, Coriacea, Papyracea. Pacto. lignea, muro ligneus.

---

§. 1. Navigatio & Navigium ita ab invicem distinguuntur, ut illa sit Classis vectio & excursio in amplū. Maris finū: hoc verò, sit istud genus navium, quo navigam<sup>9</sup>, ideò πλοίων græcè vocatur. Breviter: Navigatio est Cursus Maring, uti Cæfar



far Lib. V. de Bell. Gall. Ventus, inquit, Navigationem impediebat: Navigium autem Navem ac Navium magnam matum significat; Sicut Cicero lib. 2. de Natura Deorum inquit: Arborum sectio magnos usus adfert ad Navigia facienda.

§. 2. Interim diffitendum non est, quod aliquando etiam Navigium pro ipsa Navigatione soleat adhiberi. L. 122. Qui Romæ §. 1. ff. de Verborum oblig.

§. 3. Utramque significationem hic conjungimus; indigentes non solum ipsam excursionem Navium Regis Hierosolymitani consilio & jussu factam, sed etiam integrum navium onerariarum, portemiarum, ac mercatoriarum apparatus. Utrumque n. in Salomonis expeditione nautica concurrebat.

§. 4. Cæterum Navigationum antiquitatem hic merito annotamus, utpotè quam Danæus L. III. Antiq. Primi Mundi c. 1. Hist. 12. dicit in primo Mundo Antediluviano nondum fuisse in usu, sed post Noachum demum incepisse tentari ab hominibus Mare. Cui etiam Simon Majolus Episcop. Vulturar. in Diebus Canicular. Coll. XXIII. p. m. 796. subscribit. Cui tamen Andreas Senfleben in 'Aypo' suâ contrarius est dum in Præfat. ad Lector. b. *artem navigandi inquit solius DEI Sapientissimi Consilio & solertissima Noachi manu, natam & ortam fuisse, cujus opera solidissima omnium & splendidissima illa Navis tricamerata, quæ cum velis, remisq; destituta foret, planitiemq; pro ventre seu carina haberet, Arca potius quam Navis appellari debuit, ex lignis ut quidam volunt lævigatis, i. e. dolatis, quadratis seu bituminatis, seu de ligno Goser i. e. Cedrino, seu ut alii iterum volunt, arundineo surgere cepit & crescere; ita tamen, ut hoc posito non negem prioribus Mundi Seculis ante Noachi Posteris certa fuisse quedam marinâ vehicula, quæ itidè cælestis Sapientia digitis hominibus non minus ac aliæ artes, de quibus Genes. IV. v. 22. videre est, demonstrata fuerint, quò nimirum & illi divinitus concessio Imperio maris frui potuerint.* Quo fundamento etiam utitur Joh.

Loccenius Jct. Svec. l. i. c. 1. de Jure Maritimo & Nav. thes. 2. pag. 10. Imprimis, quia DEI manus ratem Noachicam, ad quam spes orbis refugerat, dicitur gubernasse, durante isto cataclysmo mundi universali Sap. XIV. v. 6. Istius Arcæ rudera in Ararat seu montibus Armeniæ Coridæ-



Is Haïtonus natione Armenius scribit, sua ætate esse conspe-  
cta: & Berofus ait partem navigii Noachici superesse apud  
montem Coridæum, inde bitumen abradi, quo pro amule-  
to Homines utantur, ut scribit Matth. Dresserus Millen. II. p.  
72. & Joseph. I. I. antiq. Rom. c. 4. qui hanc in rem, etiam Hie-  
ronymi Egyptii, qui antiquitates Phœnicum descripsit, Mna-  
seæ, Nicol. Damasceni L. XCVI. de Arca Noe testimonia ad-  
ducit.

§ 5. Faceffant igitur quotquot Originem *Navium* & *Navi-*  
*gationum* assignarunt *Phœnicibus*, quod facit Pompon. Mela  
I. I. c. XII. de situ Orbis p. m. 31. Lucanus l. 3. & Steph. Forcatu-  
lus, Lib. I. de Imper. & Philos. Gallor. Qui *Minoi* quod facit  
Strabo lib. X. Geograph. Qui *Nepruno* & *Cretensibus* quod  
scribit. Dior. Sículus l. V. Bibl. Hist. p. m. 337 edit. Hanov. Laur.  
Rhodomani opera editæ: Qui *Samothræcibus* apud Euseb. l. I. de  
Evang. præpar. Qui *Atlanti*, quod Clemens Alexandrinus, Qui  
*Minervæ*, quod Tertull. l. de Militis Corona. Qui *Tyriis* quod  
facit Tibull. Eleg. 32. Qui *Danao* *Ægyptiaco* ex Patria in Græci-  
am cum nave primum ad ventante quod ait Plin. l. 7. c. 56,  
Qui *mysiis* & *Trojanis* in Hellesponto primum Navigia exco-  
gitantibus, cum ad versus Thracas transirent, Qui *Corinthiis*  
*primam* attribuerunt *Navium* concinnationem, quod Thu-  
cydides & Libavius in Declamat. quadam scribunt.

Nihil est, quod Ovid. l. 8. Metam. Manil. l. 1. Astron. tra-  
dunt, quod Argus primus *Navium* Conditor fuerit ejusq; no-  
bilis *Argo* In cœlum sublata, mari quod prima cucurrit. Etsi  
enim Jason (si modò non verius Fabula quam Historia sit, quod  
de *Argo* nautis traditur, ut videtur Arriano in Periplo Ponti  
Euxini ad Imperat. Trajanum Adrianum ap. Adr. Turnebum  
Reg. Lutetiæ Profess. in Tom. II. Oper. fol. m. 147.) primus in  
Mari Euxino circa A. M. 2714. naviga verit; alibi tamen na-  
vigations esse frequentatas, non est negandum. Imò cum  
Apollonii Scholiaste rectius statuitur, quod *Argo* *prima* *saltem*  
*longarum Navium* fuerit, non verò omnium *Navium*, ut ipsa  
*Argo* Andrea Senfleben se explicat. c. 3. pag. 34. Nihil  
est quod *Promethem*, apud *Æschilum* gloriatur, à se *Navem*  
esse



esse primum inventam. De quo Muretus in *Varia Lect.* lib. 7. c. XI. Rectius mihi facere videntur qui *Janum* statunt *Inventorem Artis Nauticæ*, *Janum* interpretando de *Noacho gemino præditum Oculo*, quorum uno Antrorsum, in Antediluvianum, altero retrorsum in Post-diluvianum mundum verso, poterat utriusq; faciem, res atq; ætatem dignoscere. Apud D. Johan. Micræl. *Synt. Hist. Polit.* t. 1. s. 1. n. 18. p. m. 26. Hinc Berosus Chaldaeus Historicus Noës Arcam navem appellavit, quia ea nihil aliud nisi aptatam navigium & condendorum diversi generis navigiorum primum ac Unicum Posteris Exemplar fuit. sunt verba Polyd. Virg. Urbinatis, de *Invent. Rerum*. l. 3. c. XV. p. m. 229.

§. 6. Nec minor est *Navigationum difficultas ac periculositas*, non solum propter varias *Syrtes*, *Scyllas* atq; *Charybdes* quæ passim quidē locorum in aquis latitant, Sed etiam propter importunos & inoportunos fluctuum, ventorum & æstuum marinorum motûs, ita, ut sæpè mercibus ejectis, Navibus allisis, con fractis & submersis, Hominibus ipsis quoque pereundum sit in vasto æquore. Quemadmodum istud si ex nulla alia, certè ex Expeditione navali *Batavorum in Plagam Borealem & Novam Zemblam institutâ*, & à Gerhard. de *Vem* descriptâ, videre possumus. Hinc *Bias* ista maris pericula considerans, Nâvigantes nec vivorum nec mortuorum censu numerandos esse voluit, sed *intermedio loco* computandos, utpote quorum Vita in morte, & mors in Vita est præsentissima; tantum enim *quinq; digitorum spatium à morte distant Nautæ*, dicente *Anacharsi*, ac sæpè ne quidem unius lateris latitudine distant.

§. 7. Quo autem majora pericula navigantium sunt, eò etiam major *navigationum est utilitas*, ita, ut si hanc cum illis conferas, illa præ hac verè minora fiant, quàm ut debeant attendi. Rectè Horatius:

Impiger extremos currit Mercator ad Indos,

Per mare, pauperiem fugiens, per Saxa, per Ignes.

Nehic quid dicam de *Commercio Navali*, quod etiam inter remotissimas gentes exerceri & excoli potest beneficio *Navigio*.



giorum; illud saltem hic attendi volumus, quod nunquam  
*Novam Americanorum Terram*, quam — — DEus abscidit  
— — Prudens oceano dissociabili, investigari aut inveniri  
potuerit, nunquam Novæ Novi orbis Insulæ, tam in Orien-  
te, quam in Occidente sitæ, adiri, nunquam Auri, Argenti, a-  
liarumq; Mercium infinita copia, quæ nunc ad omnes mun-  
di habitabilis partes, ex iis devehitur, ad nos quoq; prodire  
potuisset, nisi Navigiorum beneficio adjuti Homines, classibus  
suis eò essent profecti: quæ quoq; *causa Salomonem* movit,  
ut Navigium novum adornaret, & in *Ophir Auriferacissimam*  
Regionem emitteret. Neq; eum sua spes fefellit; ex ista enim  
Classe *Salomon*, se, suosq; Cives omnes, ita divitiis, & omnium  
rerum copia ornavit, ut major divitiarum affluxus in Judæa  
non fuerit.

§ 8. Genus hujus Navigii *Salomonai*, quale fuerit, est incertum.  
Interim tamen quia Rectores *Phœnices* & *Tyrios* atq; *Judaicos*  
habuit, & quia in *Littore Arabico* extructa, & in *Confinio Ægy-  
pti ad Mare Rubrum* ædificata fuit splendidissima hæc Classis;  
verisimile quoq; est, naves plenasq; fuisse *Tyrias*, quibus fortas-  
sis etiam aliæ nonnullæ ad modum *Ægyptiacarum*, atque *A-  
rabicarum* extructæ, intermixtæ & associatæ erant, tales scilicet,  
quæ in *Mari rubro* fretabant, quarum quælibet certis signis &  
mappis insignitæ atq; discretæ erant. Incertum est an *Rates sal-  
sem compactæ vicem Navigiorum* suppleverint, quales quidem in  
mari rubro à Rege *Erythra* primùm inventas esse scribit *Plinius*  
*Lib. VII. Cap. 56.* Illud præterea conjecturari licet, si integræ  
& cõpletæ fuerint naves, quod eæ, si non omnes, pleræq; ta-  
men remis actæ fuerint; Istius enim generis Naves notæ erant  
*Tyriis*, utpotè quæ in *Mari mediterraneo* erant usitatissimæ.  
Nam, ut ex Historicis constat *Erythraei biremium*, *Ammocles*  
*Corinthius*, *triremium*, *Carthaginenses quadriremium*, *Nesichon*  
*Salaminus*, *quinqueregium* Autores fuerunt. *Xenagoras Syracu-  
sius*, ad naves ordinum, inde usq; ad *decemremem*, *Mnesigiton*, *Ale-  
xander M.* usq; ad *duodecim Ordines* processit, *Ptolomæus Philadel-  
phus* ad *Quadragesimam*, *Philopator* ad *quingentesimam*, Ut ex *Plinio*,  
*Budæo* l. 5. de *Asse*, & *Plutarcho* docet, *Sim. Majolus* dier. Can.  
Col.



Col. XXIII, p. m. 796. & Virg. l. 3. c. 15. Imò nihil prohibet hic ponere & *longas quoq; naves*; Quemadmodum Diod. Siculus l. 1. Bibl. Histor. p. m. 52. testatur quod Sesostris Ægypti Rex primus ijs sit in Ægypto usus. *Onerarie quoq;* Naves in usu fuisse putantur, quia Tyriis usitatae & ab Hippio Tyrio inventae sunt.

§. 9. Ex quibus *lignis atq; camenti conditum fuerit* hoc pretiosissimum Navigium, assequi non possumus. Quod Tyrii ex *crassis Ulmis & Quercubus, Navium latera & Contignationes, ex robore remos, ex Cedris Libani mala, ex abietibus antennas confecerint*, illud non obscure ex Ezechiel. c. XXVII. colligi potest. Nunquid autem ex Libano aut Hierosolymis in Aseongaber Cedri deportatae sint, ad Naves Salomonis compingendas, merito ambigitur. Nam diffitendum non est, circa Ailathanam ditionem ligna & robora praegrandia Navigiis idonea nata esse, quibus Naupegi uti potuerint. Quia autem non solum ex sacris, sed etiam ex Annalium Tyriorum conditoribus, Menandro & Dio, Josephoq; lib. VIII. c. 2 p. m. 109. & l. 1. contra Apionem p. m. 452. constat, quod ab Hiramio Salomon impetravit potestatem, multum lignorum Cedrinorum & Cyparissinorum recidendi in Libano, quod deinde per rates compactas, in mari mediterraneo ad Oram littoris Philistini deportatum est, uti puto, in portum *Gazaorum aut sive Jopes portum*, ex quo Hierosolyma conspici possunt: Quo etiam Portu utuntur Iudei, usq; ad Mare descendentes, ut ex Strabonis l. XVI. p. m. 533. manifestum sit, quiq; duo portus Hierosolymis proximi sunt: Ideò possit quis in eam venire opinionem, quod Salomon Templo, Regia, Tribunali, Solio, alijsq; ornamentis Regiis ex cedro confectis, id quod supererat, potuerit ad classem conficiendam adhibuisse. Imprimis quia ex Gaza in Urbem Ailam transcensus fuit & iter super Camelis, per arenosa & deserta loca, uti scribit Strabo c. l. p. m. 534. *Quicquid hujus rei sit, sive ex Cedro Libani, sive ex quocunq; alio Ligno fuerit* fabrefacta Classis, ex ligno tamen fuisse arbitramur.

§. 10. Nulli enim adduci possumus, quod hujus Navigii tam diuturna & magna moles fuerit *vel arundinea ex arundinum*

B

num



num internodiis scissis, qualla arundinea Navigia Indi habere & dicuntur apud M. Georg. Draudium in Supplem. C. Jul. Soli ni memorab. p. m. 124. *Vel Vitrea* ex Vitris, quae admotum Leander contestatur, se Venetiis vidisse vitras triremes parvas, vel *Scirpea* ex Scirpis aut virgultis contextis, bitumine illitis: sicut Strabo meminit cujusdam Naviculæ, quam *Pactonem* nominat, ad modum canistri contextæ; qua etiam ipse pro regionis more trajecerit absq; periculo in Ægyptum; Et Leonius parte 3. memorat in Africa quoq; flumina canistris pertransiri. *Vel Coriacea* ex corio facta, aut corio circumfuta, quales olim in Oceano Britannico repertas aliqui tradunt ex Plin. l. VII. c. 56. & l. IV. c. 16. Et ad Bruti usq; ætatē Lusitani Navigiis ex Corio usi sunt, postea verò etiam ex ligno excavato teste Strabone l. 3. Quod etiam testatur *Olavi Magnus* l. 2. c. 9. quod Año Dni 1505. juxta Islandiam viderit talem Cymbam ex Corio confutam, quæ fuerit Piratarum littora infestantium: vel *papyracea* in Jusula *Tabropane* usitata ap. Plin. l. VI. c. 22. *Vel* ex quacunq; alia materia præter lignum & Trabes, veteſq; prægrandium ulmorum, Cedrorum aut roborum confecta fuerit, cū tam periculosum, æltuosumq; mare, & tam diuturno tempore dimetiri debuerit, ad quod sustinendum, ingenti profecto firmoq; opus erat *muro ligneo*, quem Navim interpretatus est Themistocles ex consulto Pythio. Cornel. Nepo. Them. c. 2.

## CAPUT SECUNDUM.

De

### EXTRACTI NAVIGII LOCO, hoc est, ASIONGABER.

¶ 1. Afion Gaber, Berenice. 2. Est ad Mare Erythræum Ailath, Elath, Eloth, *ἐλάνα*, Aila, Aelana, vindicata, capta. Statio X X XII. Israelitarum. Abron, Zin, Kades, Hasmona. Situs Sinai, Horeb, Moab & Idumææ. Geographorum consensus. 3. Dissensus Johann Goropii & Comitis Limpurgici. Argumentum primum, 4. Responsio generalis. 5. Eluth & Mare Suph. Chabriæ castra propè ostium Pelusiacum, *θάλασσα ἐρυθρά*. rubra, an sit? Idumæa duplex superior & inferior.



rior. Sepher. 6. Solitudo nil obstat. Afion gaber est in Idumæa superiori. 7. Hiram opera & Salomonis. nulla circumnavigatio, nulla transvectio. 8. Tharschisch & Ophir non sunt idem. Tharschisch quid? 9. Termini Regni Salomonæ. 10. Goropius notatur & Carol. Stephani. Elana est Aila, utrumque in Arabia Petræa. Tartessus, Batis, Quadalquivir, Cotinusa, Gades. Tarsessiacum Regnum nullum.

§.1. Locus in quo Navigium suum ædificavit Salomon, in Sacris expressè vocatur *ASION GABER*, item, *EZEON GEBER* qui quoq; Flavii Josephi tempore fuit *Berenice* dictus; per opportunus fuit portus, in quo recentia navigia confici, ex quo exire, & ad quod appellere poterant, quando ex mari rubro aut Æthyopico redibant. Qui an situs sit ad *Erythræum*, an *Mediterraneum Mare*, ambiguum est inter Geographos.

§.2. Nos salva aliorum Virorum autoritate, prævia Scripturæ, Veterum ac Recentiorum Geographorum autoritate *ASION GABER* ad *Erythræum* non *Mediterraneum Mare* ponimus.

I. Ita enim DEus describit 2. Paral. VIII. v. 17. Et *Salomon abiit in Ezeongaber & Eloth [ seu Ailath ] ad oram maris qua est in Terra Edom.* Quod autem hoc Mare fuerit *Rubrum* illud expressè extat 1. Reg. IX. v. 26. Ubi primum *Ezeongaber* ponitur ad oram Maris Rubri, deinde in *Confinio Ailath*, Et tertio in *Terra Edom* ubi scilicet spectat in Sinum Maris *Erythræi*, quæ omnia ostendunt descriptionem Maris rubri, non *Mediterranei*. Nam *Ailath* s. *Elath* Præsidium & Urbs munita erat in *Idumææ* finibus maritinis, distans ab *Ezeongaber* quatuor milliar. Ptolomæus & Josephus *ελάναν* vocant: Strabo *Ailā*; additq; quod sit sita in recessu sinûs Arabici, ad quã ex portu *Gazeorum* dicatur mille & ducentorum sexaginta stadiorum transensus esse l. XVI. de Situ Orbis p. m. 534. & repetit pag. 549. Plinius ita Commentatur Lib. V. N. H. c. XI. intervallum inter duo oppida *Aelana* & *Gazam* est CLM passuum. Quam postea *Idumæis* eripuerat *Usia* seu *Azaria* 2. Reg. XIV. v. 22. & 2. Chrō. XXVI. v. 2. Sed ejectis *Judæis* eandem *Syris* habitandam dedit *Rezin Rex Damasci* 2. Reg. XVI. v. 6.

B 2

II. Idem



II. Idem probatur ex *Statione Isrælitarum*, cum illi peregrinarentur ex Ægypto in Terram Canaan, ubi Sedem in *Ezeongeber trigessimam scil. secundam* ab exitu suo posuerunt, prout Moses descripsit Num. XXXIII. v. 36. qui locus ita comparatus est, ut nullò planè modò possit ad Mare Mediterraneum referri. *Ponitur enim inter Abronam & inter Zin seu Kades desertum*, quæ duo loca, qui ad Mare Mediterraneum quæreret, is Londini Anglorum in ædibus Nazaræis curæ Medicorum committendus esset, ut eadem phrasi Lansianâ utar. Insuper XVI. Statio Isrælitarum in *Hasmona* ad Mare mediterraneum proxima erat, & XXXII. in *Ezeongeber* erat ab eodem inter sequentes remotissima; remotior adhuc, quam Montes Sinai & Horeb: Quomodo igitur *Ezeongeber* erit Urbs maritima ad oram Maris Mediterranei sita? Aut si hæc nondum sufficiant, evolvatur etiam Tabula Geographica & Chorographia Maobitica & Idumææ ditionis delineetur, & patebit ad oculum, eas in medio qs. Arabiæ Petrææ, non ad Oram maris mediterranei poni! ast ponè utramq; ponitur Elath atq; Ezeongeber Deuteron. II. 8.

III. Ex *Consensu Geographorum constanti*, qui ad unum omnes ad mare Rubrum hoc *ἑρυθρὸν πόντον* constituunt. Ptolomæus; Lib. VI. c. 28. Strabo l. XVI. Plin. Lib. V. c. II. seqq. Joseph. l. VIII, Antiq; Jud. c. 2. p. 114. Bened. Arias Montanus in chaleb. lib. unico de Terræ promissæ partit. cap. 1. p. m. 3. & in Tabulâ Chorographica Terræ sanctæ Appar. Sacro præmissâ, it. in Lib. Phaleg de Gent. Sedib. præf. Abrah. Ortelius Antvverp. in Theatro Orbis. Christian. Adrichom. in Theatr. Terræ S. in Pharan f. 118. Carol. Stephan. in Diction. Histor. Geograph. in Asiogaber p. 200. & in Ailath, p. 74. M. Henr. Bunting, Itiner. Sacr. passim. Imò ipse Johann. Gorop. Becan. Lib. V. Hispan. p. m. 78. ait, Eluth & Elusâ esse eandem, hæere in littore Idumæorum. Elanam quoq; esse in mari Rubro. At Elana & Eluth, teste Josepho idem sunt Oppidum, utrumq; ad mare Arabicum.

§. 3. Georg. Frider. Lumpurgi Baro in Oratione illustri contra Hispaniam sub auspiciis Clariss. & Celeberr. Thomæ Lansii habitâ *ASIONGABER* ex Mari Erythreo transfere  
ad



ad Maris Mediterranei confinia, dicitq; Salomonis *Asiongaber* esse ipsissima *Castra CHABRIÆ*; quæ Strabo & Ptolomæus in Idumæorum finibus ad sinum Pelusiacum posuerunt, secutus nimirum fidem Johann-Goropij Becani in Hispan. l. V. à pag. 74. seqq. idq; potissimum ex Quadruplici fundamento.

*Primum* hoc est: Quia *Asiongaber* sita circa Eluth in Idumæa ad Oram Maris Suph, & quod constet ex Strabone & Ptolomæo; Geographorum Principibus, Idumæam ad mare mediterraneum pertinere.

§. 4. *Astr.* non idem formandum est iudicium de situ *Castrorum CHABRIÆ & ASIONGABER*. Ista enim non possunt alibi quam in Ora maris mediterranei esse, non procul à Pelusio: Chabrias enim cum Ægyptiis esset profectus auxilio Athenis, versus Pelusiacum sinum vela fecit. At non ibi est *Asiongaber*, ut potè, quæ nec in Ægyptiaca ditone unquam fuit, nec Chabriæ Castris; donec esse potuit.

§. 5. Quod Eluth seu Elath Idumæa & mare Suph spectent ad Mare mediterraneum, abluat à Veritate Geographica. Mare Suph, est Erythraum mare, quod ἐρυθραὴν θάλασσαν vocant, quia ibi Erythra Rex regnavit, qui Persei & Andromedæ Filius fertur Teste Pomp. Mela. lib. 3. p. m. 131. & Strabone Lib. 16. Hoc quibusdam priscis colorem ἐρυθραῖον h. e. rubrum ex arena seu fido rubicundo, vel ex resplendescencia radiorum solarium contrahere dicitur. Quod an ita se habeat, valde dubitatur, imprimis cum Nobiliss. Dn. Breuning in suo Itinerario tanq. ocularis testis contrarium testetur, (das schilfmeer ist an der farbe nicht mehr roth/ alsß Pontus Euxinus bei Constantinopel schwarz ist. conf. Fuller. IV. Misc. XX. Becanus in Hisp. f. 78. Hoc ipsum autem mare Rubrum undecunq; etiã dicatur) à Mari Mediterraneo longissimâ Isthimo discernitur quod docent Mappæ Chorographica. Idumæa, si quibus dicitur pertinere ad mare Mediterraneum, id forsã intelligendum erit de *Inferiori Idumæa*, quã ad Ismaëlitarũ sedem i. e. fines Eremi Sur pertingit. Nam *superior Idumæa* Arabiæ Petrææ adheret: hæc ad mare Rubrum vergit. Illa appropinquat quidem ad mare Mediterraneum; sed tamen non attingit illud pro-



pter Regionē Amalekitarum, Ismaëliitarum & montes Sepher  
interiacentes.

§. 6. *Alterum est*: Quia inter Idumæam & Erythræum  
Mare interjaceat arenosum Mare & vastissima Solitudo, per  
quam Naves recentes non potuerint deduci.

R. Vastissima Solitudo inter Mare Rubrum & Idumæam  
inferiorem nihil obstat, quia *in superiori Idumæa ad oram Ma-*  
*ris hæret ASIONGABER, ex cujus ripis* in altum deduci sine omni o-  
pera poterant Navigia recens fabricata.

§. 7. *Tertium est*: Quia Hiram Rex Tyri (quæ ad Mare Me-  
diterraneum sedet) per manûs suorum Servorum Naves &  
nautis Maris gnaros miserit in ASIONGABER, quos non est  
verisimile totû Mare Mediterraneum, Atlanticû, Æthyo-  
picum, Rubrum & Sinum Arabicum pererrasse, aut ex Tyro  
ad Erythræum Mare, Naves volatiles per juga & præcipitia  
montium, agrorum & desertorum longè patentissimam pla-  
nitiam, velificante Æolo, adduxisse.

R. Hyramus Servos ad Salomon in Mari Mediterraneo,  
Salomon autem ex Hierosolymis Tyrios & suos Nautas mi-  
sit in ASIONGABER, ut ibi ædificarétur in ipsis quasi fauci-  
bus maris navigia; neque opus fuit Circumnavigatione, nec  
ventosa per continentem transvectione.

§. 8. *Quartum est*: Quia Tharsis in sinu Maris Mediterra-  
nei, iter autem in Tharsis & in Ophir in Sacris pro eodem po-  
ni solere, ut ex 3. Reg. X. vers. 11. collato cum vers. 22. & ex c.  
XXII. vers. 49. cum 2 Paral. XX. v. 36. constat.

R. Nomen תרשיש in Scriptura accipitur vel ut *Propri-*  
*um, vel ut Appellativû. Ut Proprium, notat partim artificem in si-*  
*gnem ex filiis Javan Gen. X. v. 4. partim Cubicularium Ahas-*  
*veri Regis. Esth. I. vers. 14. Ut Appellativû notat partim beryllum*  
*thalassium seu marinum pretiosum lapidem Exod. XXVIII. v.*  
*20. partim etiam Mare, unde Reges Tharsis offerent dona Ps.*  
*LXXII. v. 10. Confringet Naves Tharsis Ps. XLVIII. v. 8. Esai.*  
*XXIII. v. 1. ejulate Naves Tharsis. Et in hoc sensu dicitur eti-*  
*am I. Reg. XXIII. v. 49. & 2. Paral. XX. v. 36. Quod Salomon e-*  
*miserit Naves suas in Tharsis, hoc est, in mari. Hinc apparet*  
*quod hæ phrasæ non æquipollegant, in Ophir navigare & in*  
*Thar.*



*Tharsis seu in mari navigare*; Illa enim indicat terminū ad quem navigantes tendunt: hac autem notat Mare, in quo navigatur.

§. 9. Quibus quoq; *Quintum* posset addi, Quia Salomonis potestas ad mare mediterraneum se extendebat, ad Mare Rubrum neutiquam, imprimis quantum ad istum tractum, qui in Idumæa & ad Arabiam est.

& Terminos Imperij Salomonæi etiam ad oram Matis Erythræi & in Idumæam usq; extendendos esse claris ait verbis *Joseph. l. 8. c. 2. A sion gaber non procul ab Elana Vrbe (Eluth) est, que regio tunc in Ebraorum ditione censebatur.* Hinc etiam Mare Rubrum limes Regni Jsraëlitici ponitur ab ipso DEO *Exod XXIII vers. 31. Deut XI, vers. 24.* Ea quoque de Causa *Ulias Rex Hierosol. sibi Elath vindicavit, quæ ad huc ultra Quatuor miliaria projacet.* conferatur *Tab. Geographica Ariæ Mont. in Appar. Sacr. libro Chaleb præmissa, ubi unus Terminus regni ponitur in ipso חַיִל אֵילָת: secundus prope Temnâ Arabiæ deserte &c.*

§. 10. Ex his clarè disparet, quidnam de Novitatibus istis Goropianis contra communem Geographorum consensum excogitatis sit statuendum. Nam hic

(a) Quæritur, *An Elana, Aila & Ailath sint eadem?* Negat Goropius in *Hispan. p. m. 78.* Nos contra ex *Strabonis Lib. XVI, & Josephi Lib. VIII. Antiq. c. 2.* affirmamus.

(b) *Num Elana sit in Arabia felici?* Quod Goropii auctoritate deceptus *Carolus Stephanus* ait in *Dictionar. Geograph. p. m. 50.* Nos autem eandem in *Arabia petraea* in campo *Ailath* invenimus.

(γ) *An Tharsisch, in quo Naves Salomonis meârunt, si Tartesfis?* Affirmat *Gorop. Becanus fol. 73.* Nos negamus Nam *Naves Salomonis* in תרשיש h. e. in *Mari seu Occanotenderunt ad Orientales Insulas. At Tartessis est Regio Hispaniæ Bætica ad Bætini fluvium, qui hodie Guadalquivir dicitur, quâ Turduli suo tempore inhabitaverunt.* In qua Provincia etiam *Tartessus* Oppidum Hispaniæ Bæticæ, quod *Livius l. XXI. ab. U. C. c. 5.* vocat *Cartejam*, aut quod *Plinio* videtur *l. IV. c. 22.* est ip-



est ipsa Gadium Insula, quam Pœni *Gades*, Tyrii *Tartesson*, alii  
*Cotinusam* vocarunt, ut docet Poëta:

*Gadir* prima fretum Solida super eminent arce,  
Attollitq; caput geminis inserta Columnis:  
Hęc *Cotinusa* prius fuerat sub nomine prisco,  
*Tardessumq;* de hinc Tyrii dixere Coloni.  
Barbara quin etiam *Gades* hanc lingua frequentat,  
Pœnus quippè locum *Gadir* vocat undiq; septum.

(D) Et porro: *An Tharschisch*, seu, ut ipse pronunciat, *Tarsis*,  
sit *Tartessiaca* Regio, sit peculiare Regnum, cujus incolæ sint  
Tharteshii?

Re Quod ibid. affirmat Becanus: nos negamus: Quia *Tar-*  
*sessiacum* Regnū nullibi, nisi fore in *Mori Utopia*, quæri aut in-  
veniri potest. Omnia loca פִּי שֵׁי תִּי notant Oceanum non  
Regionem Hispanicam. Imo absurdissimè statuendum esset,  
quod Salomonis Naves sint in *Baja de Cadix* Seu *sinu Gaditão*  
in *Hispania*, ubi Columnæ *Herculis*, effectæ: Ad *Tartessum* e-  
nim *Gaditanā* maximas Naves compactas esse, & ex ea in *Phœ-*  
*niciam* traductas, scribit Becanus c. l. p. m. 73. fin.

Ut taceam præter salinas & Thynnorum piscationem hic  
nihil singulare esse, ut ex *Georg. Hœfnaglio Antverp. Belga*  
hanc Insulam perlustrante manifestum est, & ex *Abrah. Orte-*  
*lio*, in *Theatr.* fol. 19.

CAPUT III.  
DE  
CONJUNCTIONE NAVIGIORUM  
ET SERVORVM HIRAMI  
ET SALOMONIS.

† 1. Tyrus Quinsai, Alcair, Carthago, Corinthus, A-  
thenæ, Venetiæ Tyrionum Colonia-Purpura-Hericidæ. Nabu-  
cadnezar, Alex. M. Salmanasser, Elulæus. 2. Hiram. Jromus.  
Abdemonus, 3. Tyrii Nautæ in Hispaniam ex currerunt. 4.  
Navi veniunt Hierosolymam, non in Ophir. terrestria itinera  
Navi.



Navigiorum juxta Cairum. Naves plicatiles, Naves & domus portatiles. Sententia planas. Nō fuit utriq; Regi sua Classis, nec una communibus sumptibus exstructa. 6. Apparatus & comatus Navigii Salomonæ, velorum, malorum, anchorarū, gubernaculorum autores.

§. 1. Tyrus potentissimum pariter & opulentissimum fuit Emporium in toto Oriente decantatissimum: Uti enim Hierosolyma ob splendorem Religionis; ita Tyrus ob mercaturā in Oriente potissimum celebrabatur, uti inter cætera ex Ezech. 27. & ex Strabone Lib. XVI. de Situ Orbis p. m. 510. patet. Ea suo tempore nec Quinsai Chinarum, nec *Alcair* Ægyptiorum, nec *Carthagini* Afrorum, nec *Corintho* Pelo ponnensium, nec *Athenis* Græcorum, nec *Venetis* Italorum celsisset opulentia, dignitate, venustate atq; potentia. Hinc tot ex ea natæ colonie, *Carthago*, *Vtica* & plures aliæ in Siciliam in Libyam, Sardiniamq; transplantatæ. *Purpurarū* piscaturā claret. Nam Tyria purpura optima omnium perhibetur. Tribus autem casibus potissimum memorabilis est. Quorum primum intulerunt Servi, qui Dominis interfectis, *lares Dominorum occuparunt*, *Rempubl. invaserunt*, *Conjuges duxerunt*, & quod ipsi non erant, *liberos procrearunt* apud Justinum l. XVIII. c. 3. Secundum Nabucadnezar, qui diuturna obsidione fatigavit & vicit Ezech. 26. & Joseph. l. i. contra Appion. p. m. 454. Tertium Alexander M. qui eam planè delevit, in crucem actis Tyriis in pœnā servilis conditionis, apud Strab. l. 16. p. m. 530. Justin. l. 18. c. 3. Antea tamen potentissimis Salmanasseris copiis superior fuit, regnante *Elulao*, ex quo non mediocrem Navalis rei gloriam sibi comparavit, ut ex Menandri Chronicis, & Tyriorum Annalibus refert Joseph. lib. IX. c. XIV. p. 138.

§. 2. Tyri Rex, ætate Salomonis, fuit *Hiram* qui in 2. Paral. VIII & IX capp. *Hiram*, ap. Josephum Iromus dicitur, cujus magna cum Davide, ejusq; in bonis & Regno paterno hæredem fuit amicitia, quā multis deprædicat Scriptura & Menandri Chronicon: ut, potè qui non solum Salomoni de Solio Patris ad epto gratulatus est, sed etiam magna & multa honoris & amo-



amoris officia præstitit. Nec minor utriusq; fuit cura, ingeni-  
is, quam gratificandi studio certare. Nam anigmata invi-  
cem proponebant & solvebant sub mulctâ magnæ pecuniæ.  
Et quod Salomon propria Sapiencia, id Hiram ope alicujus  
Abdemonis Iuvenis Tyrii præstitit, teste Dio & Menandro ap.  
Flav. Joseph. l. 8. Antiq. Jud. c. 2. p. 113, & Lib. 1. contra App,  
p. m. 453.

S. 3. Tyriorum Nautarum magna ubiq; laus est, utpote  
qui a quis qs. innatabant & non solum navigando Phœnicia  
littora perquisiverunt, sed etiam in Insulas maris mediterræ-  
nei negotiati sunt, imò in ipsam quoq; Hispaniam penetrâ-  
runt, ut ex Posidonio & Diod. Siculo allegat Johann Grop,  
Becanus in Hisp. fol. 72. Hinc quoq; מַרְיָוִי gnari Maris  
vocantur Servi Hiramici, quos Salomon in sua Navigatione in  
Ophir adhibuit, & gubernatores Tyrii in Scriptura pro per-  
tissimis Navarchis poni solent.

S. 4. De his certum est, quod Navibus vecti venerint Hie-  
rosolymas ad Salomonem, ut pote quod expressè extat 1. Reg.  
IX. vers. 27. *Et misit Hiram מַרְיָוִי in Navi Servos suos viros  
maris & 2 Paral. VIII. 18. non tantum Servos, sed & per manus  
Servorum suorum Naves misisse fertur. Sed istud incertum  
est: An iste Naves Hiram iiverint in Ophir, & ex mari medi-  
terræneo in Rubrum transvectæ fuerint? Quod Nos incertum, si  
non plane absurdum esse dicimus.*

Possit fortassis quis in hanc venire opinionem, si cum  
præsentia tempora conferat, Hiramum potuisse ex Ty-  
ro, aut Salomonem Hierosolymis Naves suas terrestri itinere in A-  
sion gaber mittere, quia testatur, Helfricus In seiner Reise ins  
S. Land & M. Heberer in Serv. Ægyp. l. 2. c. 5. Catiri in Ægy-  
pto quotannis aliquot triremes in Navali ædificari, easq; in  
partes suas resolutas ab onerarijs Camelis inde usq; ad Heroû  
Urbem Sires, & ad mare rubrum per vastum, arenosumq; Ter-  
ræ tractû deportari solitas. Imò si consideret Naves istas Æ-  
thyopum & Alexandrinorum plicatiles, de quibus scribit Plin.  
l. V. c. 19. quod eas implicare, & humeris transferre poterint,  
quoties ad Cataractas ventum est, iterumq; explicare, quoties  
aqua-



aquarum copia data est. Et *Majolus* in *Dieb. Can.* in *Me-*  
*morab.* refert ex *Continuatore Palmerii*, quod Anno Dni M.  
D. IX. ex India quoq; talis portatilis Cymba asportata sit, & de-  
lata Rothomagum, quam Homo Una manu evehere in hume-  
ros poterit. Et non tantum de Navigiis portatilibus, sed etiam  
integris domibus & Palatiis Regis ex *Historiis* compertum est,  
quod de loco in locum deportatae fuerint; ut de *Francisci Gall.*  
*Regis* papilionibus, & *Henrici Angliae Regis* lignea & amplissima  
Regia refert *Jovius* l. 20. *Histor.* de *Regis Japonici* domo &  
Cubiculo portatorio in regia *Quaba candoni* Ludov. Froes ad  
An. 1586. & de *Regis Sinarum* Diversorio publico *Joh. Sedis*  
*Apostolicae* Legatus ap. *Vinc. Hist.* l. 31. c. 30. & de domicilio *Im-*  
*peratoris à Sultano Babylonico* dono missi ad *Frider. Imper.* Rom.  
Anno Dni 1232 scribit *Trithem.* in *Chron. Hist.* *Hirsaugiensis*.  
Quidni igitur etiam potuerint rates & Navium tabulaturae  
*Hierosolymis* aut *Tyro* transportari in *Jdumæorum* *Asiongaber*?  
Attamen quicquid horum sit, quoniam nec *Literis Sa-*  
*cris*, nec *Prophanis* traditum accepimus, tali pacto *Salomo-*  
*nem* suas Naves traduxisse, imò in *Asiongaber* de novo extru-  
as esse certò scimus, cur talem transportationem tam molestam  
& difficilem, tam longinquam & sumptuosam instituisse *Salo-*  
*monem* crederemus, cum potissimum & *Compendium* *Sum-*  
*ptuum* facere, & longinquo itinere molestiam avertere po-  
tuerit nova *Classis* fabricacione in *Navigali Jdumæo*? Quo-  
circa ut dicamus, quod sentim⁹: *Salomon Navi* acceptos *Tyrios*  
*Nauceros* stipendio annuo conduxit, & *Hierosolymis* in *Esiongaber*  
ire jussit, ut suis sumptibus classem construerent & in *Ophir* vela  
facerent. *Hiram* itaq; non Naves è *mediterr.* ad *maris Erythraei*  
per longa locorum spacia transportavit, sed *Servos* *Mari* assive-  
tos & rei nauticae apprime peritos misit, qui Naves à *Salomone*  
in *Rubro Mari* fabricatas moderarentur.

S. 5. Ex iis patet quid respondendum sit ad quaestionem:  
An utriq; *Regi Salomons* & *Hiramo* sua fuerit classis, ita ut utri-  
usq; fuerit juncta in *Asiongaber* & in *Ophir*? Quod *Johann. Ga-*  
*rop.* *Becan* iterum tam audacter affirmat *Hisp.* l. V. p. 75.  
Sed profecto praeter *Pythagoricum* autem epa, nullum habet  
C 2 funda



fundamentum. Quanquam enim 1. Regi X. v. 12. Classis Hiram nominetur, istud tamen non est ita intelligendum, quasi vel solus Hiram instruxerit, vel instructam suo nomine miserit; sed quia Tyriorum ope regebatur qui ab Hiram erant missi. Idque vel hinc constat, quia Aurum, quod ex Navigatione redibat, non ad Hiramum, sed ad Salomonem peruenit: Non Tyriis, sed Hierosolymitano Regi Pecunia est allata & annumerata, ut ex presertim extat 1. Reg. IX. v. 28. Si ergo una saltem fuit Salomonis Classis, Nunquid communibus Salomonis & Hiram sumptibus exstructa fuit? Ita videtur Caspar. Sanctio Centumputeolano, Complut. SS. Liter. Interpr. Publ. Comment. in 1. Reg. IX. fol. 110 p. 20. Sed nec id mihi probatur. Nunquid enim Hiram Sumptus contulisset in Classem, ex qua nullos sumptus percipiebat, nullum fructum sentiebat? Aurum, quod Ophirani rectores attulerunt, ad Salomonem detulerunt 2. Paral. VIII. v. 8. non ad Hiramum.

§. 6. Quo autem apparatu & comite hoc Salomonis Navigium fuerit provisum, prætereundum non est. Comitatum fuisse triennem, ex Sacris Paginis colligimus. Remiges fuisse vel omnes vel plerasque Naves diximus: vela quoque, carbasa atque anchoras adhibuisse omnino credimus. Neque enim verisimile est, eos tam difficilem æquoris campum, sine isto navali adminiculo dimetiri potuisse, neque iis omnino ignota hæc fuerunt. Nam vela vel ab Icaro, aut, ut Theodoro placet, ab Æolo nata fuerunt: Malum Dædalus docuit, Anchorarum Origo ad ipsos Tyrrhenos redit, aut si mavis ad argonauticam expeditionem. Arriani enim testatur Imperatori in Periplo suo, quod in Phaside ad huc suo tempore Anchoræ duæ ferreæ Argi & Jasonis superfuerint, altera recentior, vetustior altera, quam in documentum argonauticæ Navigationis asservari opinatur. Propius videtur accedere Pausanias qui modum ferri fundendæ, proji-  
ciendi Theodorum Samium invenisse scribit in *ῥωμικῆ* p. m. 356. & Rhodig. l. v. c. 18. ut vel sic eo citius ad vicinos suos Tyrios & Judæos venire potuerit. Neque gubernacula Navium aliorum veniunt. Typhis enim sumpto ab ave milvo exemplo que caudæ flexibus in cælo monstrat, quid opus esset in profundo.  
pri



primus artem gubernandi docuit, ut Plin. l. VII. c. 56. & Polyd. virg. d. Juv. Rer. l. 3. c. XII. scribit. Accinit quoq; Seneca in Medea Act. I. in Choro: Nondum quisquam sidera nôrat

stellasq; &c.

Ausus Typhis pandere vasto  
Carbasa ponto, legesq; novas  
scribere ventis.

Sed vento secundo, ne Navigium nostrum nimis altum  
petat, vela contra hemus, Ut in secunda & tertiâ velificatio-  
ne novis instructi viribus feliciter provehamur.

## SOLI DEO GLORIA!

**S**unt viles animæ queis sæper fixus in uno  
Pes animusq; loco, parvo quasi carcere  
clausæ.

Sed quid profuerit densis submersa tenebris  
Adq; latens virtus? veluti sine remige puppis.  
Vel Lyra, que reticet, vel qui non tenditur  
arcus.

Sed tua privatos nescit mens alta penates,  
Plus ultra semper dum metâ tangat, anhelâs:  
Omnia felici succedant Numine: tandem  
Quo repetas Patrias multis cū plausibus oras!

*sic applaudit*

CHRISTIANUS  
TRENTSCHUIS

Prof. Publ.

C 3

Ex-



**E**Xtremos Salomon Classem dimisit ad Indos,  
Auri ut transportet pondera magna sibi.  
Confecit Tyrias Erythraeo in littore naves,  
Et gnaros nautas ipse habuit Tyrios  
Ex Afiongaber soluit, non littora magni,  
Sed rubri legit littora tuta Maris.  
In Tarschish vivere rates, tendere in Ophiram,  
Sed Tartesiacum non petiere sinum.  
Has mecum cum Laude Theses defendere Galli.  
Niteris; ex studio hoc praemia digna feres  
quod ominatur, & precatur

### PRAESES

**S**unt qui celestas sic sitiunt opes,  
Dives, ut hos nec Pacteolus queat  
Explere, nec Tagus, nec ipsa  
Auriferi satis Unda Gangis,  
Hinc per furentis improba gens meat  
Fluctus tremendos æquoris, hinc petunt  
Extrema terrarum, suamque  
Ex satiare famem laborant.  
Sed non furentis sic quoque Te malus  
Sæcli hujus error, præcipitem rapit:  
Sacrae Camænæ Docte Cultor  
Dum peregrè meditaris ire.

Sed



Sed dignus hinc es laude, simul bonas  
Quòd inde merces, quas pia nonnisi  
Mens invenit, quas nec procelle  
Eripiunt, vehere huc labores.

Iova coeptis annuat! Africus  
Notusque non Te; sed Zephyri vehant  
Quo sana mens, quo Jova ducit.  
Et remees opulentus inde!

*Id quod Præstantissimo Dno Respondenti  
gratulabundus ελοφύχως apprecatur*

M. Johannes Bayer  
Eperiesino Hungarus.

**P**uppis tua altum pervolet ut Salum  
Felix, ut optatum teneat locum  
Intacta, flatûs, Docte Galli  
Opto tibi facileis favoni.

*Ita*

*Eximio atq; Præstantissimo Dno Respondenti  
Populari suo unice dilecto apprecari voluit*

Matthias Stürker Not. Poann.





Sed dignus hinc es laude, hinc bonas

Quod inde merces, cuius his non nisi

Mens invenit, quae nec procella

Exiguus videri non laboras

lova corpis annua, hinc

Nonusque non Te sed Xiphium velant

Quoties meas, quae Jovis ducit

Et remeas optulit, et idel

id quod respondit Dno. Respondit

gratias agere pro

M. Johannes Bayer

Episcopus Norimbergensis

**P**rospice tua alium per volat ut salum

Te hic in operum teatralium

Inacta, hinc, Dede Galle

Opro tibi facilest, voni

Primo ad Præsentationem Dno Respondit

Populus suo hinc dicitur gratias

Martinus Gumpel, Nor. Bonn.





Ung. VI 17

ULB Halle 3  
002 114 550



sb

T. 17-17

1078  
1077

7











B.I.G.

Farbkarte #13

3 c a

L. 2041. 2

**GIO**  
**NÆO**  
 vs  
**LIPENIUS**  
 sis Marchicus,

**RLIS GALLI,**  
 ngarus

*rio Minori*

is.  
 \*\*\*\*\*  
 E,  
**IAKEN,**  
 IX.

